Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 429
Quelle:
Copyright:

Omisi leviora. Id addo: Exempli nostri Partes cum Scriptoris, tum Compactoris vitio trajectas esse, et ultima quaedam folia deperiisse.

CCLIV.

R. 1993 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 214. 4. maj. per duas columnas nitide exaratus, minio distinctus, et olim *Domus Porte beate Marie virginis In axpach ordinis Cartusiensium prope Danubium*, in infer. *Austria* sequentia complectitur: I. *Biblia beate Marie Virginis.* Initium: *In principio creauit deus celum et terram. Gen. 1. Celum s. empyreum per quod intelligitur domina mundi uirgo maria. Est enim similis celo multis de causis. quarum una ponitur in bystoria. Empyreum enim quoniam cito factum est. statim dispositum et ornatum est. quod non alij celi. sic et ipsa in gratia et sanctificatione.* &c. Ita excepto Esdra, Psalterio, Machabaeis, Actis et Epistolis Apostolicis enotatur e sacris Literis, quidquid adcommodari Deiparae potest. Conclusio vero est ejusmodi: *Hunc libellum ad honorem tuum qualitercunque compilatum benigne suscipias. et omnia peccata mea diluas. Gratiam gratum facientem finaliter tribuas. et ad gloriam sempiternam me famulum tuum Martinum perducas. Amen. Tu quoque o lector quidquid in eo emendandum est caritate fraterna studeas emendare.* Emendemus ergo mox in hoc Epiphonemate τὸ *diluere* et *tribuere*, utpote quod soli Deo competit. Quis porro *Martinus* is, *Bibliothecae Marianae Marraccii* addendus, fuerit, cum ignaris ignoro. Τὸ *Gratia gratum faciens* Scholasticorum Seculum respicit.

II. *fol.* 38. p. 2. sequitur prolixa et gravis Oratio ad Deum, quae incipit: *Omnipotens et misericors Deus qui essentialiter es bonus, cuius gratia preuentus homo sua peccata considerat plangit et deserit* &c. et finit: *de te uiuentes et te benedicentes teque in perpetuum collaudantes Qui in trinitate perfecta uiuis et regnas Deus.* Ad *Soliloquia* et *Meditationes* olim *Augustino* adscriptas, et ad *Orationes Anselmianas* accedit.

III. *fol.* 42. *Incipitur salutatio beate Marie virginis a fratre Chunrado compilata.* Initium est: *Quoniam ut ait Jeronimus nulli dubium est* &c. Ad calcem vero Clausula miniata habet: *Explicit speculum beate virginis.* Quid jam statuemus? Extat sub hoc Titulo inter Opera *Bonaventurae* edit. *Lugd.* T. VI. p. 429. totum hoc Opusculum priorem Salutationis angelicae Partem explicans; at nos a *Fratre Chunrado* didicimus *compilatum.* Et adstipulatur *Trithemius* in *Catal. illustr. Viror. Germ. f.* 26. *Conradum de Saxonia* O. M. inter alia *L. unum de Salutatione Angelica* scripsisse testatus, id, quod et ipse *Waddingus* in *Biblioth.* Ordinis non abnuit. Nunquid convalescit ab eo p. 75. relata *Julii Nigronii* suspicio: Omnia Opuscula spiritualia, quae sine authore circumfereban-